

Art. 111. Utrum Christo comperat habere dotes.
 Art. 10. Utrum Angeli habeant dotes.
 Art. 7. Utrum convenienter ponantur tres anime ad dotes, scilicet dilectio, visio, fructio.
 Quæst. 2. Utrum sint aliqua dotes in corpore præter dotes anime.
 Quæst. 3. Utrum dotes corporis convenienter assignentur quatuor, scilicet subtilitas, agilitas, claritas, & impassibilitas.

Quæstio 10

Art. 12. Utrum aureola sit aliud præmiu ab essentiali præmio, quod dicitur aurea.
 Art. 10. Utrum aureola differat a fructu.
 Quæst. 2. Utrum fructus soli virtutis continentia debeatur.
 Quæst. 3. Utrum convenienter tres fructus virtutis in partibus continentia debeantur.
 Art. 111. Utrum virginitati debeat aureola.
 Quæst. 2. Utrum martyribus aureola debeat.
 Quæst. 3. Utrum doctoribus aureola debeat.
 Art. 10. Utrum Christo aureola debeat.
 Quæst. 2. Utrum Angelis aureola debeat.
 Quæst. 3. Utrum aureola corpori debeat.
 Art. 7. Utrum convenienter tres aureolæ assignentur, scilicet virginum, martyrum, & doctorum.
 Quæst. 2. Utrum aureola virginum sit potior, vel aureola doctorum, vel martyrum.
 Quæst. 3. Utrum munus aureolam virginitatis, vel martyrii, vel doctoris alio excellentius habeat.

DISTINCTIONIS L.

Quæstio 1.

Art. 1. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.

Art. 111. Utrum anima separata aliquid intelligat per species quas corpori conjuncta abstraxit.
 Art. 10. Utrum anima separata singularia cognoscat.
 Art. 7. Utrum distantia localis cognitionem anime separatae impediatur.

DISTINCTIONIS XLIII.

Quæstio 11.

Art. 1. Utrum omnis voluptas damnatorum sit in malis.
 Quæst. 2. Utrum damnati aliquando poeniteant de malis quæ fecerunt.
 Quæst. 3. Utrum damnati recta ratione, & deliberativa possint velle se non esse.
 Quæst. 4. Utrum damnati vellent aliquos esse damnatos qui damnati non sunt.
 Quæst. 5. Utrum damnati habeant odio Deum.
 Quæst. 6. Utrum damnati demerantur.
 Art. 11. Utrum damnati possintur poenitentia quam in hoc mundo habuerunt.
 Quæst. 2. Utrum aliquando cogitent de Deo.
 Quæst. 3. Utrum damnati gloriam beatorum visuri sint.
 Art. 111. Utrum damnati in inferno sola poena ignis affligantur.
 Quæst. 2. Utrum vermis quo affliguntur, sit vermis corporalis.
 Quæst. 3. Utrum fletus qui erit in damnatis, erit corporalis.
 Quæst. 4. Utrum damnati sint in tenebris corporali.
 Art. 10. Utrum Sancti videant poenam damnatorum post diem iudicii.
 Quæst. 2. Utrum beati miseris damnatorum compatiantur.
 Quæst. 3. Utrum beati latentur de poenis impiorum.

FINIS.

Art. 1. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 1. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 2. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 3. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 4. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 5. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 6. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 7. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 8. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 9. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 10. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 11. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 12. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 13. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 14. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 15. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 16. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 17. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 18. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 19. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.
 Quæst. 20. Utrum anima separata possit aliquid intelligere.

LIBRI QUARTI SENTENTIARUM

MAGISTRI PETRI LOMBARDI

DISTINCTIO XXIII.

De sacramento unctionis extreme.

Præter præmissa est etiam aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum, quæ fit in extremis, oleo per Episcopum consecrato: & sunt tria genera unctionis. Est enim unctio quæ fit chrismate, quæ dicitur principalis unctio, quia in ea principaliter Paraclytus datur. Unde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet, oleum scilicet, & balsamum; oleum conscientiæ, balsamum bonæ famæ. Chrisma vero græce, unctio latine dicitur. Nec tamen omne oleum ad unctionem sanctificatum chrisma vocatur, sed illud solum quod miscetur cum balsamo, quo capita Regum, & Pontificum unctur, quod etiam baptizatos sacerdos ungit in vertice, & Pontifex per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. Est & alia unctio qua catechumeni, & neophyti unctur in pectore, & inter scapulas in perceptione baptismi. Tertia vero unctio est quæ dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur.

A quibus institutum sit hoc sacramentum.

Hoc sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Jacobus, cap. v. 14. „Infirmatur aliquis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.“ In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde constat eum qui hanc unctionem fideliter, devoteque percipit, & in corpore, & in anima alleviari, si tamen expedit ut in utroque allevietur. Quod si forte corporis valitudinem illi habere non expedit, illam quæ est animæ sanitatem in hoc sacramento acquirit. Et sicut in aliis sacramentis, ita & in isto aliud est sacramentum, aliud res sacramenti. Sacramentum est ipsa unctio exterior, res sacramenti unctio interior, quæ peccatorum remissione, & virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu, vel negligentia sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est, & damnabile.

De iteratione hujus sacramenti.

Quærent aliqui, si hoc sacramentum iterari possit, cum baptismus, & alia quædam sacramenta semel suscepta non iterentur. Augustinus (1) dicit, Lib. II. contra Epistolam Parmeniani cap. xlii. sacramentum non iterandum, & sacramentum non faciendam esse injuriam. Sed hoc dicit ubi (2) agit de sacramento baptismi, & ordinationis. Unde non videtur illud generaliter accipiendum, sed de sacramento baptismi, & confirmationis, & ordinationis, quæ nullatenus sunt repetenda: quia semel tantum, & non sæpius datur baptismus, & confirmatio, & ordinatio. Sacramentum vero altaris, & poenitentiae, & conjugii sæpe iterari videtur: quia sæpe sacramentum corporis percipitur, frequenter poenitentia agitur, conjugium sæpe contrahitur. Quare ergo unctio similiter non potest iterari? Si morbus non revertitur, medicina non iteratur. Si vero morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita & unctio iterari posse videtur: utramque enim illic commemorat Jacobus, & utramque illic cooperatur (3) ad conferendam alleviationem corporis, & animæ. Cur ergo negatur unctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam sæpius sanitatem mentis, & corporis, cum propter infirmitatem eadem sæpe iteranda sit oratio? Quidam autem de omni sacramento intelligi volunt, quod non sit iterandum, scilicet secundum totum illud quod pertinet ad sacramentum, dicentes, quædam sacramenta sæpius posse suscipi, quædam vero non. Nec tamen quæ sæpius sumuntur, totaliter iterantur, ut sacramentum altaris, & unctionis, quæ licet sumantur sæpius, tamen quia non iterum benedicuntur eadem hostia, vel idem oleum, non iteratur sacramentum cum injuria. Sed dicit quis: Sic & baptismus non iteratur, etsi aliquis frequenter baptizatur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. Sed aliud est, inquit illi, de benedictione aquæ, quæ fit baptismus, aliud de benedictione panis, & olei. Potest enim baptismus celebrari in aqua etiam non benedicta: quia illa benedictio pro reverentia tantum fit, & decore, non virtute sacramenti. Sed cornus Christi non potest confici nisi de pane consecrato; nec unctio illa fieri potest nisi de oleo ab Episcopo consecrato: ideoque illa sanctificatio ad virtutem sacramenti pertinere videtur. In conjugio quoque semel tantum benedicuntur quisque, non sæpius. Benedicuntur enim, ut ait Ambrosius (Ambrosiaster) in I. Corinth. cap. vii. cum prima, & non cum secunda uxore. Si ergo cum dicitur, sacramentum non esse iterandum, nec injuriam ei esse faciendam, ratio

In IV. Sent. Tom. V.
 (1) Nicolai addit utique. (2) Al. ait. (3) Al. ferendam.

DISTINCTIO XXIII.

nem dicti referas ad sanctificationem rei, qua sacramentum expletur, de omni sacramento generaliter id verum est. Si vero ad susceptionem sacramenti, de quibusdam verum est, quod non iterantur crebra susceptione; de aliis vero quibusdam non, quia frequenter sumuntur, ut hoc unctionis sacramentum, quod in omni pene Ecclesia saepe repetitur.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de baptismo, qui est sacramentum intrantum, & de confirmatione, eucharistia, poenitentia, quae sunt sacramenta progredientium, hic quinto loco determinat de extrema unctione, quae est sacramentum exeuntium: & dividitur in partes duas. In prima determinat de ipso sacramento; in secunda de usu ipsius, ibi: *Querunt aliqui, si hoc sacramentum iterari possit.* Prima in duas. In prima distinguit hoc sacramentum ab aliis unctionibus. In secunda determinat omnia quae ad hoc sacramentum pertinent, ibi: *Hoc sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur.* Et circa hoc tria facit. Primo determinat institutionem; secundo effectum, ibi: *In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institutum: tertio conformitatem istius sacramenti ad alia, ibi: Et sicut in aliis sacramentis, ita et in isto aliud est sacramentum, aliud res sacramenti.*

Querunt aliqui, si hoc sacramentum iterari possit. Hic determinat de usu istius sacramenti: & dividitur in duo secundum duas opiniones quas tangit de iteratione istius sacramenti, & aliorum per consequens. (1) Secunda ostenditur ibi: *Quidam autem de omni sacramento intelligi volunt quod non sit iterandum.*

QUAESTIO I.

HIC est duplex quaestio. Prima de ipso sacramento extremae unctionis. Secunda de administratione, & usu ipsius.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo. De ipsa extrema unctione.

Secundo. De effectu ejus.

Tertio. De materia ipsius.

Quarto. De forma.

ARTICULUS I.

Utrum extrema unctio sit sacramentum.

IV. cont. Gentiles cap. 111.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod extrema unctio non sit sacramentum. Quia sicut oleum assumitur ad infirmos, ita ad catechumenos. Sed unctio quae fit oleo ad catechumenos non est sacramentum. Ergo nec extrema unctio quae fit oleo ad infirmos.

2. Praeterea, Sacramenta veteris legis fuerunt signa sacramentorum novae legis. Sed extrema unctio non habuit aliquam figuram in veteri lege. Ergo non est sacramentum novae legis.

3. Praeterea, Secundum Dionysium, de eccles. Hierarch. cap. v. part. i. omne sacramentum est vel ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum. Sed extrema unctio non ponitur neque ad purgandum, neque ad illuminandum, quia hoc soli baptismo attribuitur; neque ad perficiendum, quia hoc secundum ipsum pertinet ad chrisma, & eucharistiam. Ergo extrema unctio non est sacramentum.

(1) Nicolai: Prima ostenditur ibi: *Quare ergo unctio etc.* Secunda &c.

Sed contra. Sacramenta Ecclesiae sufficienter subveniunt defectibus hominum secundum quemlibet statum. Sed exeuntibus non subvenit aliud quam extrema unctio. Ergo ipsa est sacramentum.

Praeterea, Sacramenta, ut supra dictum est dist. i. nihil aliud sunt quam quaedam spirituales medicinae. Sed extrema unctio est quaedam spiritualis medicina: quia valet ad remissionem peccatorum, ut habetur Jac. v. Ergo est sacramentum.

QUAESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod extrema unctio non sit unum sacramentum. Quia unitas rei est ex sua materia, & ex sua forma, cum ex eodem res esse habeat, & unitatem. Sed forma hujus sacramenti frequenter iteratur etiam eadem vice, & materia pluries in uncto adhibetur secundum diversas partes. Ergo non est unum sacramentum.

2. Praeterea, Ipsa unctio est sacramentum: ridiculum enim est dicere, quod oleum sit sacramentum. Sed sunt plures unctiones. Ergo sunt plura sacramenta.

3. Praeterea, Unum sacramentum ab uno ministro perfici debet. Sed in aliquo casu extrema unctio non potest perfici uno ministro, sicut si post primam unctionem factam sacerdos moriatur, tunc enim alius sacerdos debet ulterius procedere. Ergo extrema unctio non est sacramentum unum.

Sed contra est, quia sicut immersio se habet ad baptismum, ita se habet unctio ad hoc sacramentum. Sed plures immersiones sunt unum sacramentum baptismi. Ergo & plures unctiones sunt unum sacramentum.

Praeterea, Si non esset unum sacramentum, tunc facta prima unctione non oporteret ad perfectionem sacramenti quod fieret secunda: quia quodlibet sacramentum per se habet esse perfectum. Sed hoc falsum est. Ergo est unum sacramentum.

QUAESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod hoc sacramentum non fuit institutum a Christo. Quia de institutione sacramentorum quae Christus instituit, fit mentio in Evangelio, sicut de eucharistia, & baptismo. Sed nulla fit mentio de extrema unctione. Ergo non est a Christo instituta.

2. Praeterea, Magister expresse dicit in littera, quod est institutum ab Apostolis. Ergo ipse Christus per se non instituit.

3. Praeterea, Sacramentum eucharistiae, quod Christus instituit, etiam ipse per se exhibuit. Sed hoc sacramentum ipse nulli exhibuit. Ergo per se non instituit.

Sed contra. Sacramenta novae legis sunt digniora quam sacramenta veteris legis. Sed omnia sacramenta veteris legis sunt ab ipso Deo instituta. Ergo multo fortius omnia sacramenta novae legis habent institutionem ab ipso Christo.

Praeterea, Eiusdem est statuere, & statuta renovare. Sed Ecclesia quae in successoribus Apostolorum ha-

QUAESTIO I.

habet eandem auctoritatem quam Apostoli habuerunt, non poterit auferre sacramentum extremae unctionis. Ergo Apostoli non instituerunt, sed ipse Christus.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod in his quae Ecclesia visibiliter operatur, quaedam sunt sacramenta ut baptismus; quaedam sacramentalia, ut exorcismus, ut supra dist. vii. dictum est: quorum haec est differentia, quia sacramentum dicitur illa actio Ecclesiae quae attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum; sed (1) sacramentale dicitur illa actio quae quanvis non peringat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illum effectum principalem. Effectus autem intentus in administratione sacramentorum est curatio morbi peccati. Isaiae xvi. 9. (2) *Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Et ideo cum ad hunc effectum peringat extrema unctio, ut ex verbis Jacobi patet, nec ordinatur ad aliud sacramentum quasi ei annexum, constat quod extrema unctio non est sacramentale, sed sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod oleum quo catechumeni unguuntur, sua unctione non perducit ad peccati remissionem, quia hoc ad baptismum pertinet; sed aliquo modo ad baptismum disponit, ut supra dist. vii. dictum est: & ideo non est sacramentum illa unctio, sicut unctio extrema.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum immediate hominem ad gloriam disponit, cum exeuntibus a corpore detur: & quia in veteri lege non erat adhuc tempus perveniendi ad gloriam, quia neminem ad gloriam adduxit lex; ideo illud sacramentum ibi praefigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram ejusdem generis; quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus quae leguntur in veteri testamento.

Ad tertium dicendum, quod Dionysius non facit aliquam mentionem de extrema unctione, sicut nec de poenitentia, nec de matrimonio: quia ipse non intendit determinare de sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest ecclesiasticae hierarchiae ordinata dispositio quantum ad ministros, & actiones ministrorum, & recipientes. Tamen cum per extremam unctionem aliquis consequatur gratiam, & remissionem peccatorum, non est dubium quod habet vim illuminativam, & purgativam, sicut baptismum, quamvis non ita plenam.

SOLUTIO II.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod unum numero, per se loquendo, dicitur tripliciter. Uno modo sicut indivisibile, quod nec actu, nec potentia est plura, ut punctus, & unitas. Alio modo sicut continuum, quod quidem est unum actu, sed plura potentia, ut linea. Sed tertio modo sicut perfectum aliquod quod ex pluribus partibus constituitur, ut domus, quod est multa quodammodo etiam actu, sed illa multa conveniunt in aliquo uno: & hoc modo quodlibet sacramentum dicitur unum, in quantum multa quae sunt in uno sacramento, adunantur ad unum significandum, vel causandum, quia sacramentum signando causat. Et ideo quando una actio sufficit ad perfectam significationem, unitas sacramenti non est multiplicata. In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. sacramentaliter. (2) Vulgata: & iste omnis fructus.

menti consistit in illa actione tantum, sicut patet in confirmatione: quando autem significatio sacramenti potest esse & in una, & in multis actionibus, tunc sacramentum perfici potest & una actione, & pluribus, sicut baptismus in una immersione, & tribus: quia ablutio quae significatur in baptismo, potest esse per unam immersionem, vel per multas. Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti, sicut patet de eucharistia: quia refectio corporalis, quae significat spirituale, non potest esse nisi per cibum, & potum: & similiter est in hoc sacramento, quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinae ad diversas vulnerum radices: & ideo plures actiones sunt de perfectione hujus sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod unitas totius perfecta non tollitur propter diversitatem materiae, aut formae, quae est in partibus totius, sicut constat quod non eadem materia est carnis & ossis, ex quibus constituitur unus homo, nec eadem forma: & similiter etiam in sacramento Eucharistiae, & in hoc sacramento pluralitas materiae, & formae unitatem sacramenti non tollit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis illae actiones sint plures simpliciter, tamen ununtur in una perfecta actione, quae est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior.

Ad tertium dicendum, quod quamvis in Eucharistia, si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos possit ad consecrationem vini incipere ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite supra aliam materiam; tamen in extrema unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere: quia unctio in eadem parte facta, tantum valet ac si consecraretur bis eadem hostia, quod nullo modo faciendum est. Nec tamen ministrorum pluralitas tollit unitatem sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quaestionem dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod sacramentum istud, & confirmationis, Christus non instituit per se, sed Apostolis instituendum dimisit: quia haec duo propter plenitudinem gratiae quae in eis confertur, non potuerunt ante Spiritus Sancti missionem plenissimam institui: unde sunt ita sacramenta novae legis, quod in veteri lege figuram non habuerunt. Sed haec ratio non multum cogit: quia sicut Christus ante passionem promisit plenam Spiritus Sancti missionem, ita potuit instituere haec sacramenta. Et ideo alii dicunt, quod omnia sacramenta Christus instituit per seipsum; sed quaedam per seipsum promulgavit, quae sunt majoris difficultatis ad credendum; quaedam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut extremam unctionem, & confirmationem. Et haec opinio pro tanto videtur probabilior, quia sacramenta ad fundamentum legis pertinent, & ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio: & iterum quia ex institutione efficaciam habent, quae eis non nisi divinitus est.

Ad primum ergo dicendum, quod multa Dominus fecit, & dixit quae in Evangelis non continentur. Illa enim praecipue curaverunt Evangelistae tradere

quæ ad salutis necessitatem, & ad ordinem ecclesiasticæ dispositionis pertinent; & ideo potius institutionem baptismi, & penitentiae, & Eucharistiæ, & ordinis à Christo factam narrauerunt, quam extremae unctiois, vel confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, sive distinctionem Ecclesiæ pertinent. Tamen etiam de olei unctioe fit mentio in Evangelio Matth. vi. ubi dicitur, quod Apostoli oleo ungebant infirmos.

Ad secundum dicendum, quod Magister dicit ab Apostolis institutum, quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est ejus institutio.

Ad tertium dicendum, quod Christus, sicut in precedenti dist. q. 11. art. 3. quæstiunc. 3. dictum est, non exhibuit aliquod sacramentum, nisi quod ipse accepit in exemplum. Accipere autem penitentiam, & extremam unctioem sibi non competeat, quia sine peccato erat: & ideo ipse non exhibuit.

ARTICULUS II.

Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.

IV. contra Gentil. ubi supra.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod extrema unctio non valeat ad remissionem peccatorum. Ad hoc enim quod per unum potest effici, aliud non exigitur. Sed in eo qui extremam unctioem accipit, requiritur ad peccatorum remissionem penitentia. Ergo per extremam unctioem non dimittuntur peccata.

Præterea. In peccato non sunt nisi tria, macula, reatus pœnæ, & reliquiæ peccati. Sed per extremam unctioem non remittitur peccatum quoad maculam sine contritione, quæ etiam sine unctioe remittitur; nec iterum quoad pœnam, quia adhuc si convalescat, tenetur perficere satisfactionem injunctam; nec quoad reliquiæ culpæ, quia adhuc remanent dispositiones ex actibus præcedentibus relicte, ut patet post convalescentiam. Ergo nullo modo per extremam unctioem fit peccatorum remissio.

Præterea. Remissio peccatorum non fit successive, sed in instanti. Sed extrema unctio non fit tota simul, quia plures unctioes requiruntur. Ergo ejus effectus non est remissio peccatorum.

Sed contra est quod dicitur Jac. v. 15. Si in peccatis est, dimittentur ei.

Præterea. Omne sacramentum novæ legis gratiam confert. Sed per gratiam fit remissio peccatorum. Ergo extrema unctio, cum sit sacramentum novæ legis, operatur ad remissionem peccati.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod sanitas corporalis non sit effectus hujus sacramenti. Omne enim sacramentum est medicina spiritualis. Sed spiritualis medicina ad spirituales sanitatem ordinatur, sicut corporalis ad corporalem. Ergo sanitas corporalis non est effectus hujus sacramenti.

2. Præterea. Sacramentum semper habet effectum suum in eo qui non fictus accedit. Sed quandoque non sanatur corporaliter suscipiens hoc sacramentum quantumcumque devotus accipiat. Ergo sanitas cor-

(1) Al. & ecclesiasticæ &c. (2) Al. sanatio. Nicolai: sanatio quasi effectus. (3) Vulgata: & oratio fidei salvabit infirmum.

poralis non est effectus ejus. 3. Præterea. Efficacia hujus sacramenti Jacob v. nobis ostenditur. Sed ibi non attribuitur (2) sanationis effectus unctioi, sed orationi: dicit enim: (3) Oratio fidei sanabit infirmum. Ergo corporalis sanatio non est effectus hujus sacramenti.

Sed contra. Operatio Ecclesiæ habet majorem efficaciam post Christi passionem quam ante. Sed ante oleo inuncti per Apostolos sanabantur, ut patet Matth. vi. Ergo & nunc habet effectum in corporali sanatione.

Præterea. Sacramenta significando efficiunt. Sed baptismus per abluionem corporalem, quam exterius facit, significat, & efficit spirituales. Ergo & extrema unctio per sanationem corporalem, quam exterius efficit, significat, & causat spirituales.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod hoc sacramentum characterem imprimat. Character enim est signum distinctivum. Sed sicut baptizatus distinguitur à non baptizato, ita unctus à non uncto. Ergo sicut baptismus imprimit characterem, ita extrema unctio.

Præterea. In ordinis, & confirmationis sacramentis est unctio, sicut & in hoc sacramento. Sed in illis imprimitur character. Ergo & in isto.

Præterea. In omni sacramento est aliquid quod est res tantum, aliquid quod est sacramentum tantum, aliquid quod est res & sacramentum. Sed non potest aliquid assignari in hoc sacramento quod sit res & sacramentum nisi character. Ergo in hoc sacramento imprimitur character.

Sed contra. Nullum sacramentum imprimens characterem iteratur. Hoc autem iteratur, ut dicitur. Ergo non imprimit characterem.

Præterea. Distinctio que fit secundum characterem sacramentalem, est distinctio eorum qui sunt in presenti Ecclesia. Sed extrema unctio confertur ei qui de presenti Ecclesia exit. Ergo non decet quod in eo character conferatur.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit, quia sacramentum efficit quod figurat: ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut baptismus per modum abluionis. Medicina autem est ad pellendum infirmitatem: unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati, ut sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & penitentia quædam spiritualis suscitatio; ita & extrema unctio sit quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualis: & ita hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet peccatum originale, & mortale, sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ, vel gloriæ; & hic defectus nihil est aliud quam quædam debilitas, & ineptitudo quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali; & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale quoad culpam, tollit ipsum, dum modo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de eucharistiâ, & confirmatione supra dictum est: & ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens: Si in peccatis sit, dimittentur ei quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit, sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt. Quidam vero dicunt, quod principaliter est institutum propter veniale; quod quidem non potest, dum hæc vita agitur, perfecte curari: & ideo sacramentum exequium specialiter contra veniale ordinatur. Sed hoc non videtur verum: quia penitentia sufficienter etiam in hac vita delet venialia quoad culpam. Quod autem non possunt evitari post perfectam penitentiam, non auferunt præcedenti penitentia suum effectum: & iterum hoc pertinet ad debilitatem prædictam. Unde dicendum, quod principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, ex consequenti autem quantum ad culpam, si eam inveniat.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis effectus principalis alicujus sacramenti possit haberi sine actuali perceptione illius sacramenti, vel sine sacramento, vel per aliud sacramentum ex consequenti; nunquam tamen potest haberi sine proposito illius sacramenti: & ideo quia penitentia est principaliter instituta contra actualem culpam, quodcumque aliud sacramentum actualem culpam delet ex consequenti, non excludit necessitatem penitentia.

Ad secundum dicendum, quod extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum. Quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittitur, tamen hoc sacramentum per gratiam quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio, sicut etiam in Eucharistiâ, & confirmatione potest accidere. Similiter etiam & reatum pœnæ temporalis dimittit, sed ex consequenti, in quantum debilitatem tollit; quia eandem pœnam levius portat fortis quam debilis: unde non oportet quod propter hoc miruatur satisfactionis mensura. Reliquiæ autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relicte, quæ sunt quidam habitus inchoati; sed quædam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, etiam eisdem habitibus, vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccata.

Ad tertium dicendum, quod quando sunt multe actiones ordinate ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum: & ideo in ultima unctioe gratia infunditur, quæ effectum sacramento præbet.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod sicut baptismus per abluionem corporalem facit spiritualem emundationem à maculis spiritualibus; ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem facit sanationem interiorem. Et sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis abluionis,

(1) Al. deest unctio. (2) Al. per baptismum qui chrismate.

quia etiam corporalem mundationem facit; ita etiam extrema unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. Sed hæc est differentia quia corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, & ideo semper eam facit, sed extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ operatur rationabiliter. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum, quod expedit ad principalem; ideo ex hoc sacramento non sequitur corporalem sanationem, & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa probat quod corporalis sanitas non sit effectus principalis hujus sacramenti; & hoc verum est.

Ad secundum patet solutio ex dictis. Ad tertium dicendum, quod oratio illa est forma istius sacramenti, ut dicitur; & ideo hoc sacramentum ex sua forma habet efficaciam, quantum est de se, ad sanitatem corporalem.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod sicut supra dist. iv. (quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1. & 2.) dictum est, character non imprimitur nisi in illis sacramentis quibus homo ad aliquod sacrum deputatur. Hoc autem sacramentum est solum in remedium, & non deputatur per ipsum homo ad aliquod sacrum agendum, vel suscipiendum; & ideo non imprimitur in eo character.

Ad primum ergo dicendum, quod character facit distinctionem statuum quantum ad ea quæ in Ecclesia agenda sunt; & talem distinctionem homo non habet ab aliis per hoc quod ipse est inunctus.

Ad secundum dicendum, quod unctio quæ fit in ordine, & confirmatione, est unctio consecrationis, qua homo deputatur ad aliquod sacramentum; sed hæc unctio est unctio medicationis: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod in hoc sacramento res, & sacramentum non est character, sed quædam interior devotio, quæ est spiritualis (1) unctio.

ARTICULUS III.

Utrum oleum olivæ sit conveniens materia hujus sacramentis.

IV. contr. Gent. ubi sup.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod oleum olivæ non sit conveniens materia hujus sacramenti. Quia hoc sacramentum immediate ad corruptionem ordinat. Sed incorruptio signatur (2) per balsamum, quod in chrismate ponitur. Ergo chrisma esset convenientior hujus sacramenti materia.

Præterea. Hoc sacramentum est spiritualis medicatio. Sed spiritualis medicatio per vini appositionem significatur, sicut patet Luc. x. in parabola de sauciato. Ergo vinum esset convenientior hujus sacramenti materia.

Præterea. Ubi est majus periculum, ibi debet communius remedium adhiberi. Sed oleum olivæ non est commune remedium, quia non inven-

(1) Al. deest unctio. (2) Al. per baptismum qui chrismate.